WISSENSCHAFTLICHE BEILAGE ZUM JAHRESBERICHT DER OBERREALSCHULE
MIT PROGYMNASIUM ZU BONN.

DE QUARUNDAM VERBI ET ADIECTIVI FORMARUM USU PLAUTINO ANNAEANO

SCRIPSIT

ALBERTUS ROOSEN.

BONNAE,
TYPIS CAROLI GEORGI TYPOGR. ACAD.
1896.

1896, Progr. Nr. 499.

A. Verborum formis decurtatis, quotquot in tribus Plauti fabulis et in Senecae tragoediis leguntur, compositis et examinatis coniugationis Latinae mutatio inlustratur[1]).

Quae de verborum formis decurtatis expositurus sum, ita mihi aptissime ordinari videntur, ut tripertita ratione procedat commentatio agatque deinceps

Cap. I.

De formis decurtatis, quae parium vocalium contractione oriuntur.

§ 1.

De formis apud **Plautum** decurtatis, quae duplicis *i* vocalis contractione exsistunt, cum accuratissime verba fecerit Fleckeisenus[2]) nec non egerit Engelbrechtus[3]), hac quaestione supersedeo. Dilucide autem ex illorum commentationibus apparet formis eius modi in fabulis Plautinis locum tam parce datum esse, ut pro certo adfirmare liceat poetam eius modi decurtationes vitare studuisse. Sed nescio an Fleckeisenus hoc Plautinarum contractionum genus iusto latius propagaverit, cum non videam cur Plauti breviatas formas eorum verborum, quae in 1. pers. Sing. Perfecti tantum modo plena terminatione — *ivi* utuntur, ex contractione ortas

---

1) In tractanda quaestione proposita fabulis Plautinis tribus usus sum optime traditis, e quibus usum Plautinum in universum colligi licere puto:

Mil. glorios. ed. Otto Ribbeck, Lipsiae 1881.
Pseudol. ed. Georg Goetz, Lipsiae 1887.
Trin. ed. Frider. Ritschelius, Lipsiae 1871.

Senecae tragoediarum editionem secutus sum a Friderico Leone curatam Berolini 1879.

2) In Exercitationibus Plautinis Goettingae 1842 editis et in Novorum annalium vol. LXI p. 23 adnot., p. 59. 61 ss.

3) Beobachtungen über den Sprachgebrauch der lateinischen Komiker, Wiener Studien 1884, Zweites Heft, p. 232 ss.

arbitrari cogamur, velut *isti* (Trin. 939. Pseudol. 1175). — *isse* (Trin. 944). — *sisti* (Mil. glor. 1067). — *audistin* (Mil. glor. 1308). — *audisses* (Trin. 1086). — *dispertisse* (Mil. glor. 728) similia. Nam cum satis multae apud Plautum verborum formae occurrant per syncopen factae[1]) ut puta *instruxti* (Mil. glor. 976). — *dixti* (Trin. 556. 567. 602. 655). — *occlusti* (Trin. 188). — *despexe* (Mil. glor. 552). — *admisse* (Mil. glor. 1282). — *detraxe* (Trin. 743), malim putare has formas Plautinas ita effectas esse, ut eiecta vocali etiam littera spirans *v*, cuius illa praesidium quoddam fuerat, litterae sibilantis vigore absorberetur.

Verborum in Perfecto coniugationem in *e* sequentium exempla tria sunt: *fleveris* (Pseudol. 100). — *opseveris* (Trin. 530 versus in fine). — *succrevere* (Trin. 31). Formae breviatae non exstant.

§ 2.

De duplicis *i* vocalis in 3. Sing. Perfecti contractione copiosissime egit **Lachmannus**[2]). Quod autem dicit contractis formis **Senecam** tantum modo ante consonantes vel in exitu versuum usum esse, optimi codicis auctoritate refutatur, qui quibus locis Lachmannus formas diductas adhibitas esse contendit, praebeat contractas: Herc. fur. 244. 321. Troad 806. Quare optimo iure Leo breviatas formas illis versibus inseruit. Bernardus Schmidt[3]) autem Lachmannum secutus miro modo a se discedit, cum eius rei, quam exeunte pag. 9 sana ratione comprobare studuerit, paulo infra exempla omnia tollit. Hochius[4]) autem eo peccat, quod contra codicis Etrusci auctoritatem deteriores secutus formas diductas servandas esse putat.

Equidem in hac re distinguendum esse ratus quonam versus loco formae et contractae et diductae usurpentur, earum usum Annaeanum hunc in modum inlustrare posse mihi videor:

A. In versus initio de his formis certa lex statui potest, si optimo codici ulla in hac re fides est. Adhibentur enim

1. formae **contractae** vocali insequente vel h.

cf. Herc. fur. 244: pet*it* ab ipsis nubibus Stymphalidas
Troad. 806: red*it* Achilles. sume nunc iterum comas
Herc. fur. 321: ad*it* harenas bisque discedens fretum.

In hoc enim casu id contractionis genus nihil offensionis habere, quo sublata omni obscuritate ipsa terminationis productio quasi in aures impingatur ipse Schmidtius l. c. recte monet.

2. formae **diductae** subsequente consonante.

Phaedr. 221: ad*iit* silentem nocte perpetua domum

Quo loco perspicuitatis causa pleniore Senecam forma usum esse verisimile fit iis, quae infra secuntur.

B. Medio in versu miror huius generis Perfecta tantum modo ante consonantem inve-

1) In versu Mil. glor. 456 commendavit Ribbeckius in annal. philol. 1862 p. 372 formam „*fecsti*", quam Bentleium quoque margini adscripsisse nuper compertum est. Sed illa forma analogiae plane repugnat et in libris invenitur „feci" aut „fecisti".

2) Commentar. in Lucretii Cari de rerum natura libros, Berolini 1850, p. 208.

3) De emendandarum Senecae tragoediarum rationibus prosodiacis et metricis. Dissert. Berolin. 1860.

4) Die Metra des Tragikers Seneca, Halle 1862.

niri. Sed hoc casu potius[1]) quam lege aliqua factum esse mihi videtur atque Senecam puto formas contractas (quo quidem loco inveniuntur) etiam vocali sequente adhibiturum fuisse.

1. Formae enim **bisyllabae** tantum in quarto senarii pede occurrunt, nimirum ut anapaestus vitetur, cui locum metricae leges eo in pede denegant.

Herc. fur. 1151: spolio leonis? quonam ab*i*t tegimen meum
Agam. 113: et qui redire cum per*i*t nescit pudor
Octav. 422: aliena telis aut pet*i*t praedae imminens.

Praeterea leguntur carminis anapaestici bis in pede altero:

Herc. Oet. 1865: lux úna per*i*t noctésque duas
Phaedr. 354: odiúmque per*i*t cum iússit Amor.

2. Formas autem **diductas** Seneca tantum in diverbio adhibuit: semel in quinto pede

Phaedr. 135: sero recusat ferre quod sub*ii*t iugum

nimirum ut caveret merum iambum, qui eo loco ab Annaeana ratione metrica tam alienus est, ut illum — exceptis quattuor nominibus propriis[2]) — duobus tantum locis usurpaverit:

Med. 512: Phoebi nepotes Sisyphi nepotibus
Troad. 1080: his alta rupes, cuius in cacumine,

ubi nomina quadrisyllaba ultimos senarii pedes complectuntur[3]).

Ter eo modo, ut paenultima verbi syllaba (*i*) alteram syllabam arseos pedis secundi in tribachyn dissoluti efficiat, ultima verbi syllaba (*it*) thesin pedis tertii, unde caesura semiquinaria oritur syllaba proxima rite producta:

Phaedr. 999: nunc raptor ob*ii*t. mortis effare ordinem
Agam. 944: excessit, ab*ii*t, currus effreno impetu
Herc. Oet. 751: o mater, ab*ii*t: membra et Herculeos toros.

C. Exeunte versu pleraque huius contractionis exempla exstant in senariis, in canticis quinque tantum: *petīt*: Herc. fur. 825; Oedip. 803; Troad. 348; Octav. 519. — *perīt*: Herc. fur. 49; Troad. 493. 631; Phoen. 210; Med. 994; Herc. Oet. 1089 (v. Glycon.). 1421. 1867 (dim. anap.). 1089 (v. Glycon.). — *redīt*: Troad. 50; Med. 984; Herc. Oet. 1681. — *abīt*: Troad. 460; Herc. Oet. 1616. 1760. 1977; Phaedr. 728; Oedip. 320. — *obīt*; Troad. 597; Herc. Oet. 1911 (tetram. anap.). — *adīt:* Herc. Oet. 1062 (v. Glycon.). — *coīt*: Oedip. 224.

Huius speciei formae 3. Sing. Perfecti omnino exstant triginta novem (7 in canticis), ex quibus tantum quinque sunt duplicis *i*.

De metrica autem ratione, qua formae „*adiit, abiit, subiit*“ simil. metiendae essent, nisi communi reliquorum omnium antiquitatis poetarum more extra omnem dubitationem posita

---

1) Vide sis de formis diductis, quae metro postulatae tamen nisi sequente littera consonante non reperiuntur.

2) Med. 709: sparsus cruore Caucasus Promethei.
Troad. 195: desponsa nostris cineribus Polyxene.
Thyest. 115: iam Lerna retro cessit et Phoronides.
Herc. Oet. 804: excepit omnis; hinc petrae Capherides.

3) Singularis est versus Herc. fur. 20 a Buechelero ex optimo codice ita correctus:

Thebana tellus sparsa nuribus impiis,

in quo Porsonianam legem valere videbis.

esset, ex Senecae tragoediis nihil certi enucleari posset, cum eius modi formae apud Senecam nisi ante consonantes non inveniantur. Hochius Lachmanni sententiam, qua recte dixit Senecam ultimam harum formarum syllabam productam usurpasse *(adiīt)*, reiciebat ille quidem eius rei exempla ratus Senecae abiudicanda esse: sane, exemplo certo nullo nititur Lachmannus e Seneca petito atque potuit etiam Hochius, etiamsi optimum codicem secutus esset, causam invenire, qua ipsius sententiam — falso enim putabat tribreves esse illas formas — comprobaret. Nam ratione habita eius legis, quam statui de Senecae in versus initio dicendi genere, potuit dicere formis diductis in versibus Herc. fur. 244. 321, Troad. 806 imprimis impedimento fuisse accentum a Senecae ratione prosodiaca haud alienum illum quidem[1]), sed nisi in verbis dactylicis non admissum nec ibi auribus suavissimum, in versu autem Phaedr. 221 positione anapaestum fieri. Attamen, ne ex ea lege metiendi istud genus Senecae attribuamus, propterea cavendum est, quia consuetudo illa in versus initio Annaeana, quam constituimus, perspicuitatis ratione advocata satis probatur et inlustratur atque, id quod gravissimum est, quia, si vera esset Hochii de illis formis sententia, a more scriptorum et posteriorum et eorum, qui antea fuere, prorsus Seneca solus discederet. Nam hic omnium mos fuit poetarum, ut „*adiit*“ cet. anapaestos metirentur[2]).

Reliquae Perfecti et Plusquamperfecti formae, quae huc pertinent, contractione omnes utuntur, quin etiam iis locis, quibus metro non violato syllaba augeri poterant, ut puta in primo pede: *obisse*: Oedip. 765. — *perisse*: Agam. 1009. — *petissem*: Troad. 555; in pede altero: *redimus*: Herc. fur. 1143. Phaedr. 1213; in pede tertio: *obisse:* Phaedr. 998, quibus locis breviatis formis usus est Seneca, etsi metrica ratione non desiderabantur.

Sunt autem hae: 1) Perf. 1. Sing. formae bisyllabae tantum modo versus senarii iambici

---

1) Quod unicum adfert exemplum alterius in tribrevi syllabae acutae (cf. p. 9: „anime patrandum est“) equidem non inveni. Credo igitur animo eius obversatum esse Medeae v. 924, ubi iis, quae codices praebent:

animó parandum est — liberi quondam mei

accentus difficultates plane tolluntur.

2) 3. Sing. Perfecti terminationem „*it*“ a Plauto productam eandemque metiendi rationem a posterioris aetatis poetis servatam esse multis exemplis demonstravit cum Fleckeisenus (l. c. p. 20. 23 adnot.) tum Lachmannus (Lucret. III, 1042 p. 206 extr.), qui eius legis confirmationem ingreditur hisce verbis acerrimis: „Adeo grammatici nostri ea, quae quivis puer Romanus sciebat, neglegunt, nos autem senes ea operose quaerere cogimur quae nobis magistri nostri olim tradere debebant.“ Cuius rei firmissimum est argumentum, quod in lege agraria a. 643 quinquiens scriptum exstat „veni**ei**t“ (C. G. Bruns: fontes iuris Romani antiqui, Friburgi in Brisgavia 1887[5] cura Th. Mommsen p. 81 ss.: 58. 65. 67. 75. 91). Alia multa argumenta ex poetis sumi possunt, e quibus elegi haec:

Plaut. Pseudol. 311:	Ilico vixīt amator, úbi lenoni súpplicat.
Catull. 64, 20:	Tum Thetis humanos non despexīt hymenaeos
Hor. Sat. 1, 19, 21:	quom gravius dorso sub***iī***t onus. incipit ille
Ovid. Met. 1, 114:	Sub Iove mundus erat, sub***iī***t argentea proles.
9, 610:	non ad***iī***t apte, nec legit idonea, credo,
	tempora, nec pet***iī***t horam animumque vacantem
10, 74:	Persephonen ad***ii***t inamoenaque regna tenentem
Epist. ex Ponto 1, 3, 74:	Thessalicamque ad***ii***t hospes Achillis humum
1, 4, 46:	Illud, quod sub***i***¯t Aesone natus opus.

in fine leguntur: *redi:* Herc. fur. 612. Herc. Oet. 22. 48. 795. 1162. — *peti:* Med. 248. Herc. Oet. 1843. 2) Perf. 2. Sing. formae contractae quinque occurrunt, quattuor in senariis, unica in cantico: a) in altero pede: *petisti* Agam. 371 (dim. anap.), Herc. Oet. 551. — *redisti* Herc. Oet. 982. b) in quinto pede: *audisti* Octav, 848. — *punisti* Phaedr. 1194. 3) Perf. 1. Plur.: *redimus* Herc. fur. 1143. Phaedr. 1213. 4) Perf. 2. Plur.: *audistis* Herc. Oet. 294. 5) Perf. Infinitivi exempla contracta octo inveniuntur a) in primo pede: *obisse* Oedip. 765. — *perisse* Agam. 1009. — *exisse* Med. 281. — *nescisse* Oedip. 514; b) in altero pede: *perisse* Troad. 490. — *redisse* Herc. Oet. 807. Herc. fur. 640; c) in tertio pede: *obisse* Phaedr. 998. — 6. Plusquamperfecti Indic. 3. Plur. exemplum coniugationis in „*e*" formatae unicum praebet Octavia in quinto pede:

Octav. 401: non arma gentes, cingere 'assuerant' suas

quod verbum eo loco in tres syllabas corripitur (assvērant)[1]). 7) Plusquamperf. Coni. 1. Sing.: *petissem* Troad. 555 ineunte versu. 8) Plusquamperf. Coni. 3. Sing.: *exisset* Med. 955 in versus initio. — *petisset* Med. 1010 in altero pede senarii[2]).

Talia igitur exempla omnino septem et viginti reperiuntur, quorum sex metrica causa vacant. Leguntur sex et viginti in diverbio, unum exstat in cantico Agamemnonis. Pleraque sunt compositorum verbi eundi (17), novem verborum in Perfecto quartam quam dicunt coniugationem sequentium (audire, nescire, punire, petere), unicum petitur ex coniugatione in „*e*" formata.

Iam cum animo complector quidquid ex hoc locorum conspectu efficitur, in universum statui licere arbitror: primum summam Senecae legem fuisse sententiae perspicuitatem, deinde ita eum in huius modi formis brevitati studuisse, pleniores ut non adhiberet nisi metro coactus aut sententiae ambiguitate. Apparet igitur unico loco Phaedr. 221 'adiit' perspicuitatis causa formam eum adhibuisse ampliorem.

Quae quo facilius cognoscantur, hanc tabulam adicio, qua formae Annaeanae omnes in hac paragrapho tractatae adstringuntur:

---

1) cf. Herc. Oet. 1095 in versu Glyconeo: quattvor praecipites deus
Agam. 250: quid rere ad animum svapte natura trucem — etc.

2) Annaeani autem sermonis proprietati in hoc contractionis genere cavendum est, ne adnumeres quae sint poetarum omnium Latinorum nec secus lapidibus tradantur: dico verbum *deerrandi*, quod semel apud Senecam invenitur, praecipue autem verbi „*deesse*" eas formas, in quibus verbum simplex incipit a vocali „*e*" (cf. Vel. Long. de orthogr. VII, 65, 2 K: „in hac tamen „de" praepositione, quam dixi plenam praeponi, animadvertendum illud, quod imminuitur, si quando sequens vox a littera *e* incipit, ut est *derrare*, *desse*, in qua enuntiatione sufficit ipsa productio"). Has igitur seclusas propterea tantum exhibeo, ne sit contractionum imperfecta conlectio. [*dest:* Herc. fur. 500. Troad. 61. Oedip. 68. 694. — *derat:* Med. 992. Herc. fur. 832. Troad. 888. Phoen. 369. Phaedr. 1186. Herc. Oet. 1853. — *desset:* Phoen. 514. — *derit:* Med. 403. Phaedr. 473. — *desse:* Oedip. 693. Phaedr. 477. 878. Thy. 717. — *derrantes:* Phaedr. 1069].

Tituli tragoediarum.	F. diductae.		F. contractae.		
	Diverb.	Cantic.	Summa.	Diverb.	Cantic.
Herc. furens	—	—	8	8	—
Troades	—	—	9	9	—
Phoenissae [1]	—		1	1	
Medea	—	—	6	6	—
Phaedra	3	—	5	4	1
Oedipus	—	—	5	5	—
Agamemnon	1	—	3	2	1
Thyestes	—	—	—	—	—
Herc. Oetaeus	1	—	20	14	6
Octavia	—	—	4	4	—
Summa	5	—	61	53	8

Quam tabulam ne obiter quidem intuentem fugiet diductarum formarum usum diverbio definiri et, id quod minime mihi opinanti evenit, utriusque generis formas evitasse Senecam in Thyeste [2]. Quantopere autem sua voluptas traxerit poetam ad formas id genus contractas dilucide apparet ex ipsa numerorum ratione, qua illas efficiatur esse ad diductas ut $61:5 = 12{,}2:1$. Accedit quod in Herc. fur., Troad., Oedip., Agam. semel, in Phaedra bis contractione utitur praeter necessitatem.

1) Phoenissae sunt unica Senecae tragoedia, cui cantica desint.

2) Quae leguntur in versibus Thy. 209 'petit', 431 'redit', 695 'perit', 772 'abit' in fine senarii, 774 'exit' in tertio pede ante caesuram semiquinariam sequente consonante certe sunt Praesentia. Nec mihi diu haesitanti iam dubium est, quin etiam vv. 18 et 993 in formis 'subit' et 'coit' idem tempus lateat, id quod locis accurate examinatis nemo non concedet, etsi primo adspectu in v. 993 nisus eo, quod sequitur, 'addidit' Perfectum malit agnoscere.

Cap. II.

De formis decurtatis, quae diversarum vocalium vel contractione vel posteriore elisa exsistunt.

§ 1.

Breviatae formae apud **Plautum** obveniunt

1) versus in fine: Mil. glor. 1263 *orasti* (septenar. iamb.), 1218 *exorasse* (septenar. iamb.). (2)

2) reliquis versus locis: Trin. 136 *inconciliastin'*, 137 *exturbasti*, 587 *peccarim*, 521 *siris* in senariis iambicis; in septenariis trochaicis: Trin. 1014 *thermopotasti*. 656 *foedarim*, 666 *errasse*, 667 *opscurasse*, 956 *mandasse*, 927 *adpellasses*, (10). — Mil. glor. 1429 *cessarunt*, 1412 *vapularim* in septenariis trochaicis; in septenario iambico 922 *ludificaro*. (3). Quas formas omnes puto originem cepisse eodem modo quo *isti*, *isse* cet.

Formae legitimae leguntur

1) versus in fine: Trin. 1105 *imperaverim*, 784 *amoveris*, 538 *audiveris*, 145 *posiveris* in senariis iambicis; 1083 *commendaveras*, 655 *exsignavero*, 856 *conciliaverit* in septenariis trochaicis. (7) — Mil. glor. in senariis iambicis 571 *sciveris*, 574 *noveris*, 526 *infuscaverit*, 66 *obsecraverint*, 132 *amaverat*; in septenario trochaico 432 *immutaverit*. (6) — Pseudol. 830 *condivero*, 478 *cavero*, 573 *delectaverit*, 883 *gustaverit* in senariis iambicis; 630 *servavero*, 721 *narravero*, 751 *exornavero*, 666 *consudaveris*, 973 *noverit* in septenariis trochaicis. (9). —

2) reliquis versus locis: in senariis iambicis Trin. 451. 790 *novisse*, 176 *opsecravisset*; in septenariis trochaicis Trin. 648 *praeoptavisti*, 905 *novistin'*, 913, 952 *noveris*, 953 *novisse*, 1141 *noveram*, 1127 *exaedificavisset*, 957 *novissem*. (11). —

Mil. glor. in senariis iambicis: 17 *difflavisti*, 495 *ludificavisti*, 506 *inspectavisti*, 510 *tractavisti*, 40 *novisse*, 1376 *investigavero*, 565 *muttivero*; in septenariis iambicis: 917 *novisti*, 1067 *sprevisti*, 382 *somniavisti*, 918 *noverim*, 1259 *audiveris*, 920 *noverit*; in septenariis trochaicis: 428 *novisti*, 263 *participaverit*, 603 *rescivrint*, 724 *paravisse*, 430 *novisse*, 731 *paravissent*. (19). —

Pseudol. in septenariis trochaicis: 619. 971 *novisti*, 352 *iuravisti*, 354 *periuravisti*, 367 *verberavisti*; praeterea in versu cretico-trochaico: 1116 *siverat* (6).

Iam ea, quae singula ex tribus Plauti comoediis cognovimus, sub unum aspectum subici liceat:

Tituli comoediarum	versus in fine						reliquis versus locis					
	Trinumm.		Mil. glor.		Pseudol.		Trinumm.		Mil. glor.		Pseudol.	
	Diverb.	Cantic.	Diverb.	Cantic.	Diverb.	Cantic.	Diverb.	Cantic.	Diverb.	Cantic.	Diverb.	Cantic.
Formae plenae.	4	3	5	1	4	5	3	8	7	12	—	6
	7		6		9		11		19		6	
F. breviatae	—	—	—	2	—	—	4	6	—	3	—	—
	—		2		—		10		3		—	

Efficiuntur ex hac tabula haec:

Formae plenae in universum sunt ad breviatas ut 58:15 = 3,86:1 h. e. exsuperant igitur plenae formae quadruplo circiter breviatas. Ipsi igitur numeri demonstrant Plautum formas integras praetulisse decurtatis. Quod iudicium extra omnem dubitationem ponitur eo, quod in Pseudolo, quae fabula poetae iam senis maturitatem quandam prae se ferat, huius generis formae breviores plane desunt. Cum autem Engelbrechtus[1]) demonstraverit eius rei contrarium fieri a Terentio, necesse est concludamus plenas formas sermonis cotidiani fuisse, urbani breviatas.

Si accuratius circumspectabimus qua ratione utriusque generis formae per singulas comoedias diffusae sint, inveniemus tres illas fabulas plurimum in ea re inter sese distare. Cum enim in Trinummo plenae formae tantum duplo circiter praeponderent (18:10), hoc discrimen aliquanto augetur in reliquis fabulis: nam breviores formae in Milite glorioso quintuplo plenis superantur (5:25), in Pseudolo autem, quae fabula plenas quindecim formas exhibet, breviatae plane desunt.

Eadem breviorum formarum efficietur deminutio, si usum earum medio in versu observaverimus. Nam in Trinummo idem fere numerus est plenarum formarum et breviatarum (11:10), in Milite glorioso autem sunt illae ad has ut 6:1 (accuratius 19:3), in Pseudolo denique breviatas formas omnino desiderari supra commemoratum est.

Versus in fine paulo huius rei alia ratio est, cum miro modo Miles gloriosus et a se et a duabus reliquis fabulis discedat: cum enim Trinummus et Pseudolus breviatis verborum formis eo versus loco careant, Miles glor. earum praebet ibidem duas, quibus plenae tantum sex formae respondent.

Plurimas autem comparate exhibet formas integras Pseudolus et in universum et versus in fine reliquisque locis.

Quae omnia respicienti pro certo adfirmari posse mihi videtur fabulas Trinummum et Militem gloriosum ante Pseudolum conscriptas esse earumque esse Trinummum antiquiorem.

---

1) l. c. p. 219: „Terenz gebraucht regelmässig die verkürzten Perfektformen und gestattet sich die vollen Formen in freierer Weise nur am Versende“.

Exeunte versu videmus Trinummum et Pseudolum eundem fere numerum plenarum formarum praebere in diverbio quem in canticis, Militem gloriosum autem (in qua unica fabula mutatis modis cantica desiderantur) quintuplo plures. Qua re nescio an in universum colligi possit plerasque formas eius generis illo versus loco diverbio obvenire. Reliquis autem versus locis maxima pars earum in tribus nostris comoediis invenitur in canticis.

§ 2.

Iam a Sarsinate praeteriens ad **Cordubensem** seclusi in hac paragrapho verbi noscendi formas contractas, quas numquam Seneca non adhibuit excepto versu Oedip. 272, ubi metri causa „*noverit*“ [1]).

Exempla, quae temporum, modorum, personarum ordine adscribo, contuli haec:

1) Perf. Act. Indicat. 2. Sing.: a) in primo pede: *agitasti*, Oedip. 844. — b) in pede altero: *aequasti* Agam. 812 (tetrap. logaoed.). — *litasti* Herc. fur. 1039. — *immolasti* Troad. 249. — *amasti* Phaedr. 117. — *occupasti* Herc. Oet. 763. — *putasti* Thy. 1110. — c) in pede quinto: *intrasti* Herc. Oet. 1779. — [*nosti* Herc. fur. 480. 1191.]. — Pleniores huius personae formae non inveniuntur.

Deest igitur hoc contractionis genus in Phoenissis, Medea, Octavia. Occurrit in reliquis tragoediis semel in cantico, septiens in senario. Versus locum obtinet semel primum, quintum semel, sexiens alterum i. e. ante caesuram semiquinariam, quam ut adsequeretur Senecae gravissimam causam fuisse arbitror, cur solitas terminationes vitaret.

2. Plur. quattuor exempla inveniuntur: *donastis* Phoen. 233 in pede primo. — *negastis* Herc. Oet. 1416 in altero pede ante caesuram. — *violastis* Troad. 669 in quinto pede. — *vindicastis* Med. 668 versus Sapphici minoris in fine. — Ne huius quidem personae apparent terminationes ampliores.

Desunt huius generis formae in Herc. fur., Phaedr., Oedip., Agam., Thy., Octavia. Unum igitur exemplum invenitur in cantico exeunte versu, tria in senario.

3. Plur. unum exemplum repperi in altero pede senarii: *levarunt* Troad. 696, ubi hoc contractionis genus propter eandem caesuram semiquinariam positum est. [*norunt* Phaedr. 1212 septenarii trochaici in sexto pede.]

2) Perf. Act. Coniunct. 2. Sing.: *pararis* Thy. 1106. — 3. Sing.: *contaminarit* Oedip. 389; *efferarit* Phoen. 206; *expiarit* Phaedr. 718: quae formae omnes caesuram semiquinariam efficiunt, cuius ne iacturam faceret Senecam puto prorsus vitasse formas integras per se eo versus loco concessas. — 3. Plur. [*norint* Oedip. 749 tetrametri anapaestici in pede tertio.].

3) Perf. Act. Infinitiv.: a) in pede primo: *remeasse* Agam. 580. — *erasse* Phoen. 515. — *captasse* Phaedr. 520. — *spoliasse* Med. 913. — *armasse* Med. 914. — *servasse* Med. 228. — b) in pede altero: *imperasse* Herc. fur. 63. — c) in pede tertio senarii: *peccasse* Ag. 243. — *celebrasse* Oct. 708. — *servasse* Med. 243, quibus locis forma breviata efficitur caesura semisepte-

---

1) Breviatas formas „*nosse, nossem*“ de industria Plautum vitasse iam animadvertit Fleckeisenus (Neue Jahrb. XCV [1867] p. 632).

naria. — **tetrametri anapaestici eodem in pede:** *portasse* Oct. 767. — *ululasse* Oedip. 179. [*nosse* Oed. 514. 838. Agam. 492. Herc. fur. 216. Phaedr. 141.]. Plenioris formae Infinitivi non exstant. Desunt eiusmodi Infinitivi in Troad., Thy., Herc. Oet.

4) Plusquamperf. Act. Ind. 3. Sing.: [*norat* Med. 334. Oedip. 596. Phaedr. 531]. — 3. Plur. [*norant* Oct. 400].

5) Plusquamperf. Act. Coni. 1. Sing.: in pede altero ante caesuram semiquinariam *peierassem* Phoen. 589. [*nossem* Troad. 557.]. — 2. Sing.: *intrasses* Phaedr. 661 in pede quinto; *cremasses* Herc. Oet. 851 in altero pede. — 3. Sing.: *armasset* Agam. 209; *dubitasset* Thy. 724; *satiasset* Herc. Oet. 1192 in quinto pede; [*nosset* Med. 652 in fine v. Sapphici minoris]. — 3. Plur. *lacerassent* Oct. 637 in pede quinto.

6) Fut. exact. 1. Sing.: in pede altero ante caesuram *occuparo* Oct. 531; *fundaro* Oct. 532 in quinto pede.

Eius igitur generis apud Senecam exempla omnino leguntur quinquaginta tria inclusis quindecim formis verbi noscendi, quibus desumptis restant octo et triginta. Eiusdem verbi formae huc pertinentes desunt in Phoen. Thy. Herc. Oet. Minimum exemplorum numerum praebet Thyestes (3), maximum tres tragoediae, quae Medea, Phaedra, Oedipus inscribuntur, e quibus septena exempla colliguntur.

Quod dixi p. 8 de formis decurtatis verisimilius fit eo, quod formae ampliores in hac paragrapho tractandae plane desunt.

Cap. III.

De formis decurtatis, quae terminationum deminutione exsistunt.

§ 1.

Apud **Plautum 1) Perf. Act. 3. Plur.** formae deminutae obveniunt in fabulis illis hae: a) in septenariis trochaicis: *attinuere* Mil. 1322. — *accubuere* Mil. 751. — *devinxere* Pseud. 200. — b) in septenariis iambicis: *adbibere* Mil. 879. — c) in senariis iambicis: *transfugere* Mil. 589. — *succrevere* Trin. 31. — *suspendere* Trin. 536. d) in octonariis anapaesticis: *voluere* Pseudol. 905. —

Formae integrae leguntur a) in septenariis trochaicis: Mil. 270 *crepuerunt.* — (328) *concrepuerunt.* — 1311 *iusserunt.* — 1373 *fecerunt.* — 1429 *exierunt.* — Pseudol. 721 *adfuerunt.* — Trin. 625 *adstiterunt.* — 642 *tradiderunt.* — 1037 *perduxerunt.* — b) in septenariis iambicis: Mil. glor. 410 *crepuerunt.* — 1265 *praeciderunt.* — c) in senariis iambicis: Mil. 60 *reprehenderunt*; *dixerunt.* — (1388) *oderunt.* — Pseudol. 818 *triverunt.* — 539 *consenserunt.* — Trin. 535 *abieruut.* — d) in septenariis anapaesticis: Mil. 1085 *sublegerunt.* — e) in octonariis anapaesticis: Pseudol. 907 *genuerunt.* — f) in tetrametro bacchiaco: Pseudol. 1106 *abdiderunt.*

Computanti ratio efficitur 8:20 = 1:2,5. Multo igitur huius personae praeponderant formae legitimae. Formas autem terminatione deminutas poetae adeo displicuisse, ut, si ullo modo fieri posset, eas vitaret, et inde apparet, quod pleniores formas plurimis locis posuit nulla re coactus velut Mil. 270. 410. 328. Pseudol. 539. Trin. 642 (ante dihaeresin Mil. 1311. 1429. Pseudol. 721. Trin. 1037) et eo, quod uno loco, quo terminatione deminuta metro satisfacere poterat, medio in verbo potius decurtatione usus est, ut plenam huius personae terminationem servaret:

Mil. 1429 nám postquam porta éxierunt, níl *cessarunt* ilico,

ubi salvo metro etiam formae „*cessavere*“ locus fuisset.

Formas in „*-ere*“ exeuntes tantummodo ita Plautus adhibet, ut ultima verbi syllaba synaloepha evanescat et ne ita quidem, si alio modo versum sanum efficere potest i. e. tantum modo eorum verborum, quorum Perfecta formata sunt secundum tertiam quam dicunt coniugationem. Nam in versu Trin. 31

quasi herba inrigua *succrevere* uberrume

eo potissimum puto eum adductum esse, ut scriberet „succre*vere*" pro „succre*runt*", quia duplicis „*e*" vocalis contractionem, quantum vidi, sibi non indulsit.

2) Praes. Pass. Indic. 2. Sing. formae breviores exstant a) in septenariis iambicis: Mil. 424 *fabulare*, 920. — 941 *morare*. — Pseudol. 1325 *minitare*. — b) in octonario iambico: Pseudol. 1134 *patere*. — c) in senariis iambicis: Mil. glor. 1108 *consectare*. — Pseudol. 442 *mirare*. — 488 *fatere*. — 826 *utere*. — Trin. 502 *fabulare*. — 415 *rere*. — d) in septenario anapaestico: Mil. 1087 *remorare*. — e) in septenariis trochaicis: Mil. glor. 436 *vocare*. — 614 *loquere*. — 750 *utere*; — Pseudol. 313 *lamentare*. — 1145 *flagitare*. — 1147 *fabulare*. — 611 *videre* 611, 622. — 1236 *loquere*. — Trin. 675 *conare*. — 952 *arbitrare*. — 659 *merere*. — 362 *mentire*.

Plenae eius personae terminationes perraro inveniuntur, id quod tabula apparet paulo infra inserta. Desiderantur omnino in Pseudolo et in Milite glorioso. Tria unica exempla Trinummo soli reservata sunt: 480 *fabularis* (*A*), 789 *arbitraris* (senarii sunt versus), 708 *tueris* septenarii trochaici in pede quinto. Eadem Trinummus minimum numerum formarum deminutarum exhibet (6): earum duplicem numerum continet Pseudolus (12), quae in ea re duabus reliquis comoediis longe praestat. Medium locum in hac re obtinet Miles, ex qua octo exempla colligi posse hoc locorum conspectu illustratur[1]):

Praes. Pass. Indic. 2 Sing.	Versus in fine						Reliquis versus locis					
	Trinumm.		Mil. glor.		Pseudol.		Trinumm.		Mil. glor.		Pseudol.	
	Diverb.	Cantic.	Diverb.	Cantic.	Diverb.	Cantic.	Diverb.	Cantic.	Diverb.	Cantic.	Diverb.	Cantic.
Formae plenae	—	—	—	—	—	—	2	1	—	—	—	—
	—		—		—		3		—		—	
F. deminutae	—	—	—	4	1	—	2	4	1	3	3	8
	—		4		1		6		4		11	

Ratio igitur contraria efficitur in computandis huius personae formis deminutis et legitimis: sunt enim illae ad has ut $26:3 = 8{,}66:1$. Apparet igitur Plautum formas breviores huius personae in deliciis habuisse, praesertim cum saepe nec metro postulentur et cum studio quodam atque amore ipsis iis locis usurpentur, ubi terminatio contraria et gravior exspectatur sive propter dihaeresin[2]) sive propter caesuram semiquinariam[3]) sive in fine versus[4]).

---

1) Idem est igitur etiam in harum formarum usu trium fabularum ordo, quem p. 10 statui: Trin. Mil. glor. Pseudol.

2) Velut Trin. 659: Séd tibi nunc, proinde út merere, súmmam habebo grátiam
Pseudol. 313: Nam istuc, quod nunc lámentare, nón esse argentúm tibi
„ 611: Ita videre: et nón videre dignus, qui libér sies

Tres tantum optimorum codicum auctoritate nituntur formae pleniores, etsi nihil est quo postulentur:

Trin. 480 rem fabular*is* non tibi dicam dolo
789 nonne arbitrar*is* tum adulescentem anuli
708 étiam ob stultitiám tuam te túer*is*? multabó minas.

Duo quae primo loco posui exempla, si posteriorum temporum non legem quidem at usum respicias, tueri possis, quoniam postea senarii iambici ante caesuram semiquinariam syllaba producta poni solebat. Sed hunc usum expolitioris aetatis Plautina aetate nondum valuisse docent tres loci, quos supra commemoravimus: Mil. glor. 1108, Trin. 502 (ubi brevior forma codicibus omnibus communis est), Pseudol. 442, ubi contra reliquos libros ipse Ambrosianus praebet „mira*re*". Idem autem codex optumus exhibet in versu Trin. 480 „fabula*ris*" repugnantibus ceteris. Sed cum idem verbum iterum occurrat in versu 502 idque deminutum terminatione (cf. etiam in septenario trochaico Pseudol. 1147; in septenario iambico Mil. glor. 424. 920) cumque numerorum ratione efficiatur plenis huius personae longe praevalere breviatas, recte puto ex ceteris codicibus Ritschelium eo loco „fabula*re*" restituisse.

Restat igitur unicum eo versus loco exemplum Trin. 789 '*arbitraris*'. Nec in versu septenario trochaico Trin. 708 est, cur „tue*ris*" desideretur, et Mil. glor. 614[1]). Pseudol. 1236[2]) eodem versus loco exstat „loque*re*". Concludendum est igitur ita, ut aut plenas huius personae formas, quae trium fabularum, quas sub examen vocavimus, in Trinummo solum obveniunt, antiquitati eius fabulae (cf. p. 10 et 14 Adn. 1) maiorique poetae eo tempore indulgentiae tribuamus aut, quod ego malim, si omnia talia conaequari licet, ut formas plenas duobus illis locis brevioribus mutandas esse dicamus.

Pseudol. 1145: Séd tu, bone vir, flágitare saépe clamore in foro
„ 1147: Harpax
Quin tu mecum fábulare?
Ballio
Fábulor: quid vís tibi?

3) Velut Trin. 502: Quin fabulare 'di bene vortant: spondeo'?
Mil. glor. 1108: Qui consectare qua maris qua feminas
Pseudol. 442: Id tu mirare, si patrissat filius?

4) Velut Mil. glor. 424: Quae circum vicinós vagas.
Philocomasium
Quicúm tu fabuláre?
„ „ 750: Próletarió sermone núnc quidem, hospes, útere.
„ „ 920: Qui nóverit me quis ego sim?
Palaestrio
Nimis lépide fabuláre:
„ „ 941: Ne quid, ubi miles vénerit, titubétur.
Acroteleutium
Tu moráre.
Pseudol. 826: Quid tú? divinis cóndimentis útere.

1) Quis homo mihi sit mágis meus quam tu's?
Periplecomenus
Lóquere lepide et cómmode.

2) Si graderere tántum quantum lóquere, iam esses ád forum.

At quodcumque de hac re virorum doctorum iudicium erit: nemo negaverit usum Plautinum ita definiendum esse, ut pleniorum huius personae formarum studium poetae abiudicemus.

Littera „*e*" finalis synaloepha opprimitur Mil. glor. 1087. Pseudol. 611. 622. 1134. 1325. Trin. 415. 362.

3) Praes. Pass. Coni. 2 Sing. formae deminutae leguntur in senariis iambicis: Mil. glor. 553 *fateare.* — Trin. 808. *vereare;* in septenario iambico: Mil. glor. 1269 *mirere*; in septenariis trochaicis: Mil. 1357 *morere.* — 335 *fateare* (660). — Pseudol. 214 *deportere.* — 320 *opperiare.* — Trin. 619 *ulciscare.* — 1065 *utare.* — Formae plenae in senariis iambicis exstant Pseudol. 1047 *perconteris* ante caesuram semiquinariam, Trin. 1 *fungaris* in pede quinto; in septenario iambico Pseudol. 237 *praevortaris* ante dihaeresin, ita tamen, ut ultima verbi syllaba ictu prematur, in septenario trochaico Mil. 1166 *reverearis* subsequente vocali.

Utriusque generis formae minus longe inter sese distant illae quidem (10:4), sed tamen breviatas principatum tenere elucet cum numerorum ratione tum inde, quod metrica causa vacante usurpantur Trin. 808 in quinto senarii pede, Mil. glor. 1357 ante dihaeresin, 1269. 660[1]). — Ampliores terminationes quater inveniuntur: ter (Mil. 1116, Pseudol. 237, Trin. 1) metricis rationibus postulatae, semel in senario iambico ante caesuram semiquinariam (Pseudol. 1047) loco mutilato sic edito a Goetzio:

ubi perconter*is* me . . . .
. . . . insidiis hostilibus

Qui cum unicus totius fabulae locus sit, ubi formam in „*is*" exeuntem codices praebent, eorum quae antea dixi ratione habita „percontere" scribendum esse statuo, si quidem quod sequitur verbum „me" certum est.

Neutra forma exstat versu exeunte. In tribus omnibus fabulis ultima syllaba brevioris formae intra versum bis synaloepha absorbetur: Trin. 620. 1065. Mil. glor. 553. 335. Pseudol. 214. 321.

4) Imperf. Passiv. Ind. 2. Sing. unum exemplum inveni senarii iambici in pede tertio: Pseudol. 798 *arbitrabare,* ubi littera finalis synaloepha eliditur. — Eiusdem temporis et personae **Coni.** unicum exemplum occurrit Pseudol. 1236 *graderere* (*B*) in pede altero septenarii trochaici, ubi formae deminutio neccessaria non fuit.

5) Fut. Pass. 2. Sing. conlegi has formas in „*e*" exeuntes: e senariis iambicis Mil. 839 *excruciabere.* — Pseudol. 556 *flagitabere.* — 1043 *amplexabere.* — e septenariis iambicis: Mil. 1237 *largiere.* — e septenariis trochaicis: Mil. 1409 *verberabere.* — Pseudol. 722 *am-*

---

1) Trin. 808: Nihil ést de signo quód vereare: mé vide.
Mil. glor. 1357: Í, sequere illos: né morere.
Palaestrio
Béne vale.
Pyrgopolinices
Et tu béne vale.
„ „ 1269: Ne tú mirere múlierem.
Pyrgopolinices
Sed quid volt me facere ísta?
„ „ 660: Túte me ut fateáre faciam esse ádulescentem móribus.

plexabere. — Trin. 881 *percontabere.* — Plenae formae plane desunt. Deminutae tantummodo in exitu versus obveniunt, ubi etiam plenis rite locus fuisset.

In universum igitur de usu formarum decurtatarum in fabulis Plautinis ita iudicandum est, ut Plautum cum studio quodam et amore in Activo ad ampliores formas incubuisse, in Passivo brevitati studuisse dicamus.

§ 2.

Apud Senecam 1) Perf. Act. 3. Plur.: I. formae deminutae saepissime occurrunt in trimetris, e quibus quae secuntur exempla congessi: 1) pedis alterius in thesi: *adiere* Herc. fur. 17. — *sensere* Herc. fur. 250. Phaedr. 1088. Herc. Oct. 1635. — *patuere* Herc. fur. 286. — *cecidere* Herc. fur. 403. Troad. 219. Octav. 850. — *maduere* Herc. fur. 469. — *bibere* Herc. fur. 484. Agam. 700. — *laesere* Herc. fur. 489. — *videre* Herc. fur. 596. Phaedr. 902. — *cinxere* Herc. fur. 940. — *tacuere* Herc. fur. 1200. — *movere* Troad. 173. Thy. 703. — *tulere* Troad. 209. — *novere* Troad. 693. Med. 128. — *misere* Troad. 1161. Herc. Oct. 547. — *pressere* Phoen. 178. — *periere* Phoen. 239. Med. 879. 951. Oed. 59. Agam. 112. — *haesere* Phoen. 435. Phaedr. 1101. Herc. Oct. 1686. — *egere* Phoen. 505. — *petiere* Phoen. 635. — *abiere* Med. 164. — *sonuere* — Med. 765. Oedip. 570. Herc. Oct. 254. — *rediere* Med. 984. — *tenuere* Phaedr. 87. Thy. 782. — *solvere* Phaedr. 101. — *pavere* Phaedr. 538. Octav. 515. — *rupere* Phaedr. 540. — *vertere* Phaedr. 546. — *iere* Phaedr. 554. — *tremuere* Phaedr. 1050. — *latuere* Phaedr. (1022). Thy. 116. — *rapuere* Phaedr. 1069. — *crepuere* Oedip. 99. — *odere* Oedip. 520. — *duxere* Oedip. 575. — *posuere* Agam. 443. — *vicere* Agam. 695. — *stetere* Agam. 712. — *dedere* Agam. 784. — *venere* Agam. 885. Thy. 1005. — *vertere* Thy. 265. — *gemuere* Thy. 772. — *fugere* Thy. 1021. — *cessere* Herc. Oct. 289. 293. 392. — *habuere* Herc. Oct. 458. — *dixere* Herc. Oct. 524. — *voluere* Herc. Oct. 1180. — *micuere* Herc. Oct. 1299. — *luxere* Herc. Oct. 1753. — *timuere* Herc. Oct. 1781.

Reperiuntur igitur huius generis contractionum exempla septuaginta duo metro omnia postulata. Tribus locis verbi ultima syllaba synaloepha absorbetur (Phaedr. 546. Herc. Oct. 524. 547), reliquis omnibus pedis secundi thesin format.

E canticis contuli haec: a) e tetrametris anapaesticis: *videre* Med. 330. — *tenuere* Phaedr. 75. — *rupere* Phaedr. 76. Oedip. 160. — *misere* Phaedr. 82. — *sparsere* Oedip. 184. — *tribuere* Oedip. 199. — *venere* Oedip. 994. — *sonuere* Oedip. 995. — *struxere* Agam. 344. — *texere* Octav. 889. — *voluere* Octav. 893. — b) ex dimetris anapaesticis: *fudere* Oedip. 440. — *videre* Agam. 341. — *tremuere* Agam. 403. — c) e tetrametris dactylicis: *tenuere* Herc. Oct. 1960. — *timuere* Herc. Oct. 1961. — d) e dimetro iambico catalectico: *iunxere* Med. 869. — e) e senario iambico catalectico(?): *sensere* Oedip. 472.

Cantica igitur undeviginti exempla praebent metrica necessitate omnia adhibita. Oedipodis in versu 160 ultima verbi syllaba synaloepha evanescit.

2) In pede tertio ante caesuram semiquinariam, ubi propter intervallum syllabam productam exspectas, unum codices terminationis deminutae exemplum in senario exhibent:

Herc. Oet. 95. iam se intulere — sed quota est mundi plaga

Quod cum non sit, cur pleniore forma inserenda cum reliquis formis integris (Herc. Oet. 956. Octav. 847) adaequemus, necesse est arbitremur eius modi formas decurtatas Senecae cordi fuisse[1]).

3) In pede quarto senariorum: *cessere* Phoen. 634. — *vicere* Med. 441. — *luere* Phaedr. 1166. — *placuere* Thy. 759. — *meruere* Thy. 1100. — *stravere* Herc. Oet. 58. — *fregere* Octav. 464.

Septiens igitur in senariis occurrunt hae formae, quibus simul efficitur caesura semiseptenaria. Terminatio elisione opprimitur Phoen. 634, quare versus iusta caesura caret.

Canticorum eodem in pede: *cessere* Troad. 722. Herc. Oet. 1936. — *posuere* Med. 370. — *timuere* Phaedr. 341. Agam. 91. — *sensere* Oed. 159. — *videre* Oedip. 444. Octav. 310. — *texere* Oedip. 753. — *egere* Oedip. 754. — *tenuere* Agam. 61. — *vicere* Agam. 692. — *periere* Thy. 813. — *fluxere* Thy. 947. — *patuere* Herc. Oet. 610. — *tinxere* Herc. Oet. 668. — *nevere* Herc. Oet. 669. — *coluere* Herc. Oet. 672 (tetram. anap.): duodeviciens igitur in tetrametris anapaesticis ante caesuram semiseptenariam. — *siluere* Med. 627. — *meruere* Med. 646. — *tenuere* Phaedr. 314. Agam. 622. Thy. 563. — *patuere* Oedip. 130. Thy. 592. — *placuere* Oedip. 422. — *petiere* Oedip. 480. 486. — *secuere* Oedip. 493. — *sonuere* Agam. 634. Thy. 554. — *crepuere* Thy. 562. — *cecidere* Thy. 573. 588. — *tumuere* Thy. 577. — *timuere* Thy. 580. 595. — *tremuere* Thy. 600. Herc. Oet. 1600. — *posuere* Thy. 601. (versus sunt Sapphici minores): bis et viciens igitur in versu Sapphico minore, ita ut thesin pedis quarti ultima verbi syllaba complectatur. Oedipodis in versu 486 verbi terminatio eliditur.

4) In pede quinto unum exemplum invenitur in versu heroico: *sensere* Oedip. 471. Duo exstant in trimetris, ita ut ultima verbi syllaba synaloepha absorbeatur:

Herc. fur. 956 inferna nostros regna sensere impetus
Herc. Oet. 1007 iamne inferorum, dira, sedere arbitri.

5) Ultimam versus syllabam obtinet terminatio ita deminuta duobus Octaviae locis in tetrametris anapaesticis

Octav. 28 cuiqué Britanni tergá dedere
„ 777 Phrygiáeque solo regná dedere,

ubi breviores formas adhibitas esse mirum est, etsi eiusdem tragoediae uno tantum simili loco plenam formam certe inveni:

Octav. 651 pectóra volnus mea sénse*runt*.

II. Plenas formas in „*-erunt*“ exeuntes adhibuit Seneca hisce locis: a) pedis alterius in arsi: *moverunt* Octav. 776 (tetram. anap.). — b) in pede tertio ante caesuram semiquinariam: *steterunt* Oedip. 963. — *fuerunt* Agam. 876 sequente vocali metri causa. — *abstulerunt* Herc. Oet. 956 (in fine interrogationis). — *restiterunt* Octav. 847 sequente littera consonante. — c) pedis quinti in arsi: *cesserunt* Herc. fur. 955. — *ceciderunt* Troad. 175. Octav. 632. — *texerunt* Agam. 41. — *fecerunt* Agam. 171. — *redierunt* Thy. 311. — *vicerunt* Herc. Oet. 575. — *senserunt* Herc. Oet. 1164. — *voluerunt* Octav. 552. — *planxerunt* Octav. 746. — d) Versus tetrametri anapaestici in ultima arsi: *senserunt* Octav. 651. — *expulerunt* Octav. 294, nisi forte posteriore loco Plusquamperfectum inserendum est, quod ego malim, etsi dissuadere videtur quod sequitur Perfectum „ulti sunt“.

---

1) Neque tamen dissimulanda est nostri de eo versu indicii summa. cf. p. 21.

Iam ut perspicuitati consulam, quae de Perfecti formis et integris et decurtatis exposui cum reminiscendi causa tum quo facilius appareat qua ratione utriusque generis formae per singulas tragoedias diffusae sint, ea brevi in conspectu positurus sum:

Perfect. Activ. 3. Plur.

Tituli tragoediarum.	Formae deminutae												Formae integrae									
	pede 2		pede 3		pede 4		pede 5		in ultima arsi		Summa		Summa		pede 2		pede 3		pede 5		in ultima arsi	
	Div.	Cant.	Div.	Cant.	Div.	Cant.	Div.	Cant.	Div.	Cant.	Div.	Cant	Div.	Cant	Div.	Cant.	Div.	Cant.	Div.	Cant.	Div.	Cant.
Herc. furens	10	—	—	—	—	—	1	—	—	—	11	—	1	—	—	—	—	—	1	—	—	—
Troades	5	—	—	—	—	1	—	—	—	—	5	1	1	—	—	—	—	—	1	—	—	—
Phoenissae	5		—		1		—		—		6		—		—		—		—		—	
Medea	6	2	—	—	1	3	—	—	—	—	7	5	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—
Phaedra	12	3	—	—	1	2	—	—	—	—	13	5	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—
Oedipus	5	7	—	—	—	9	—	1	—	—	5	17	1	—	—	—	1	—	—	—	—	—
Agamemnon	7	3	—	—	—	5	—	—	—	—	7	8	3	—	—	—	1	—	2	—	—	—
Thyestes	7	—	—	—	2	13	—	—	—	—	9	13	1	—	—	—	—	—	1	—	—	—
Herc. Oet.	13	2	(1)	—	1	6	1	—	—	—	16	8	3	—	—	—	1	—	2	—	—	—
Octavia	2	2	—	—	1	1	—	—	—	2	3	5	4	3	—	1	1	—	3	—	—	2
	72	19	(1)	—	7	40	2	1	—	2	82	62	14	3	—	1	4	—	10	—	—	2
	Div.	Cant.	Div	Cant.	Div.	Cant.	Div.	Cant.	Div.	Cant.	Div.	Cant.	Div.	Cant.	Div.	Cant.	Div.	Cant.	Div.	Cant.	Div.	Cant.
	91		(1)		47		3		2		144		17		1		4		10		2	
	pede 2		pede 3		pede 4		pede 5		in ultima arsi		Summa		Summa		pede 2		pede 3		pede 5		in ultima arsi.	

Qua tabula accuratius perlustrata reperiemus quae secuntur:

1. Formarum deminutarum plenarumque summis inter se in universum comparatis dilucide apparet deminutis esse numero multo inferiores eas, quae integra terminatione sunt. Sunt enim formae breviatae ad integras ut 144:17 = 8,47 : 1 h. e. formas plenas Seneca vitare studuit[1]). —

1) Hanc Senecae sermonis proprietatem non solum pertinere ad plenas formas 3. Plur. Perf. Act., sed omnino ad omnes formas in — *runt* exeuntes inclusis iis, quae intra verbum syncopa corripiuntur velut *levarunt*, *norunt* cum inde apparet, quod has bis tantum modo adhibet (Troad. 696. Phaedr. 1212. — at *novere* Troad. 693. Med. 128. — *stravere* Herc. Oet. 58. — *nevere* Herc. Oet. 669. — *pavere* Phaedr. 538. — *movere* Troad. 173. Thy. 703) tum ex versu Octav. 515

pav*ere* volŭcres et feras saevas diu

Cui rei repugnat unica tragoedia Octavia, in qua utriusque generis formas eadem fere numerorum ratione usurpatas videamus (8 : 7).

2. Numerorum summam quo modo diverbia et cantica inter sese distribuerint si comparaverimus, eandem rationem inveniemus. In diverbio enim formae deminutae sunt ad integras ut 82 : 14 = 5,85 : 1, in canticis ut 62 : 3 = 20,66 : 1 i. e. in canticis formae breviatae prae diverbio praeponderant quadruplo circiter: plenas igitur formas in canticis sibi non indulsit Seneca. — Quod novem deinceps probatur tragoediis, quarum in canticis Perf. Act. 3. Plur. formae non inveniantur non deminutae. Singularem igitur vel in hac re locum obtinet ea tragoedia, quae Octavia inscribitur, quae quot in diverbio tot fere in canticis exhibeat plenas formas (4 : 3).

3. Eaedem novem tragoediae sunt ita compositae, ut etiam in diverbio brevioribus formis quam plurimo cedant plenae: quae ratio perversa est in Octavia, ubi illae sunt ad has ut 1 : 1,33.

Denique novem illae tragoediae formis integris tantummodo utuntur aut pedis tertii in thesi, quibus syllaba producta eveniat illo loco exoptata, aut pedis quinti in arsi, cui quidem loco, cum ultimum versus pedem intactum manere necesse sit, praeter anapaestum spondeus plena terminatione formatus optime sane quadrat.

Ex iis, quae antea diximus, ita Senecam formas deminutas in deliciis habuisse, plenis ut abstinere studeret, ita nobis concludendum est, ut, quo plures tragoedia formas contineat terminatione integras, eo priore tempore eam conscriptam esse statuamus. Hoc si verum est, efficitur:

a) tragoedias, quae Phoenissae, Medea, Phaedra inscribuntur, omnium novissimas esse. Nec praetereundum arbitror ea ratione in his tragoediis accrescere usum formarum deminutarum, ut duplicem earum numerum adhibuerit poeta in Medea (12), in Phaedra triplicem (18).

b) reliquas remotiore tempore ortas ita invicem excepisse, ut servato temporis ordine deinceps sequerentur Agamemnon (5 : 1), Troades (6 : 1), Hercules Oetaeus (8 : 1 [1]), Hercules furens (11 : 1), Oedipus, Thyestes (22 : 1). De Agamemnone idem constituit Leo l. c. p. 133 in fine: „ita autem sentio Agamemnonem inter Senecae tragoedias eam esse, quam primam scripsit.“ Id vel eo confirmatur, quod omnium tragoediarum in diverbio minimo in Agamemnone deminutae terminationes exsuperant integras (2,33 : 1). Quae contra Leo dicit Oedipum inter Senecae tragoedias eam esse, quam secundam scripserit atque Herculem Oetaeum, si a Seneca scripta sit, post reliquas tragoedias, saltem post Herculem furentem scriptam esse (cf. p. 53), ea mihi hanc rem respicienti minus probantur. In hoc tantum assentior Leoni, quod dicit Oedipum ante Phoenissas scriptam esse (p. 77). Oetaeum autem Herculem post furentem conscrip-

---

ubi forma „parunt“ simili ratione atque „norunt“ cet. effecta usus etiam sic dicere potuit:

par*unt* volŭcres et feras saevas diu.

Correptam enim vocalem ante mutam cum liquida in arsi versus senarii produci posse efficitur versibus Herc. fur. 750. 756

rapitur volŭcri tortus Ixion rota
praebet volŭcri Tityos aeternas dapes,

in quibus idem nomen usurpatur eodem versus loco media syllaba producta (cf. Herc. fur. 898: pātri etc.)

1) Hoc eo magis mirandum est, quod Herc. Oet. spatium complet reliquis fere duplo amplius.

tam esse veri dissimile fit eo, quod primum integras terminationes totidem praebet, quod tragoediarum antiquissima Agamemnon (3), deinde quod in Hercule furente integris formis plurimo omnium tragoediarum antecedunt deminutae in diverbio.

c) Denique eam tragoediam, cui Octavia nomen est, ne sermonis quidem usu posse a Cordubense originem accepisse. Nam cum tragoediarum omnium, quae Senecae auctoris nomine ornatae sunt, formas exhibeat plerasque integras (7), prima eius operum fuisset necesse esset: quod prorsus absurdum est. Accedit, quod eadem tragoedia etiam in reliquis rebus, quas observasse mihi videor, ab usu Annaeano quam maxime discrepat.

Formae d e m i n u t a e ita per Senecae tragoedias dispersae sunt, ut earum omnino plures occurrant in diverbio quam in canticis (82 : 62): cuius rei contrarium elucet ex Oedipode, Agamemnone, Thyeste, Octavia. Si diligentius perlustramus quonam in pede pleraeque inveniantur, efficitur earum partem longe maximam reperiri in altero pede, qui multo plures continet quam dimidium omnium (91). Quod omnibus tragoediis comprobatur excepto Thyeste, qui in eo pede breviatarum formarum minorem partem exhibet, quam in quarto pede (7 : 15). Proximus est pes quartus, qui tertiam fere partem omnium formarum deminutarum complectitur (47). Sequitur deinde cum tribus formis deminutis pes quintus. Postremum locum obtinet pes tertius, qui unicum exemplum praebeat Herc. Oct. 95. At eo in versu nunc me fateor irritationi succumbere emendandi in formam integram „intule*runt*“, cum hac mutatione neque quaestionis, de qua agitur, summa ulla ratione coerceatur neque metrici usus aut analogiae postulatorum iusto plus rationis ducatur. Quo unico versu emendato usum Annaeanum ita definiendum esse censeo: deminutis Perf. Act. 3. Plur. formis in Senecae tragoediis locus non conceditur in pede tertio ante caesuram semiquinariam.

Adiciendum est etiam, quod in altero pede deminutarum terminationum summa frequentia est in diverbio, ubi quadruplo fere plures inveniuntur quam in canticis, in quarto pede contra in canticis. Quod cadit in omnes tragoedias exceptis Octavia et Oedipode: nam in Octavia aequa est ratio in ambobus pedibus (2 : 2; 1 : 1), Oedipus autem in altero pede plerasque formarum deminutiones exhibet in canticis.

2) Praes. Pass. Ind. 2. Sing. perpaucae formae inveniuntur deminutae: *rere* Agam. 250. Phaedr. 895. — *speculare* Phaedr. 679, quibus locis thesin pedis alterius format ultima verbi syllaba; synaloepha autem opprimitur Agam. 250. Nec puto silentio praetermittendum duo haec quae inveniuntur exempla esse verborum deponentium I. et II. Coniugationis. Desunt igitur eius modi formae in canticis.

At formas huius personae sanas frequentes codices praebent: a) In pede primo tetrametri anapaestici: *quereris* Med. 813. — b) In pede altero senarii sexiens, semel carminis anapaestici: *testaris* Phaedr. 577. — *raperis* Agam. 244. — *hortaris* Oedip. 678. — *cunctaris* Oedip. 952. — *minaris* Thy. 97. — *moreris* Phoen. 76. — *tueris* Agam. 354 (tetram. anap.). — c) In pede tertio senarii ante caesuram semiquinariam: *fluctuaris* Troad. 657. Agam. 109. — *vereris* Phoen. 492. — *moraris* Med. 988. Phaedr. 954. — *raperis* Oedip. 631. — *loqueris* Agam. 123. — *iuberis* Thy. 75. — *sequeris* Herc. Oct. 122 (v. Asclepiad. min.). Licet igitur videre Senecam eo versus loco, quo propter caesuram syllaba producta si non postulatur at certe desideratur, formis solitis ne tum quidem abstinuisse, cum distinguendi nota acerrima sequitur (Troad. 657, Agam. 109, Phaedr. 954) aut formae correptae positione producuntur aut produci

possunt. — d) In pede quarto: *pateris* Troad. 804. — *moreris* Oedip. 938. Med. 645 (in versu Sapphico minore). — *loqueris* Thy. 246. — *conaris* Agam. 207. — *miraris* Octav. 743. — e) In pede quinto: *pateris* Herc. fur. 614. Agam. 147. Herc. Oet. 762. 1028. — *veheris* Med. 1027. — *coleris* Phaedr. 407. — *moliris* Phaedr. 431. — *persequeris* Herc. Oet. 1005. — f) Exeunte versu: *ulcisceris* Thy. 195. — *laberis* Phaedr. 763 (ord. logaoed.).

Primo igitur adspectu apparet formis deminutis multo praevalere ampliores atque generis utriusque summam facienti efficitur ratio 1 : 11. Cuius rei quae causa sit haud difficile est perspectu: nam formis brevioribus adhibitis facile ambiguitate obscuritateque sermo laborare potuit, quoniam illae formae iisdem terminationibus utuntur eodemque accentu, quibus Infinitivus Praesentis Activi et Imperativus Passivi[1]). Est igitur harum formarum ratio prorsus contraria ei, quam adhuc statuimus.

Canticorum omnino plenioris formae exempla sunt quinque: Med. (2), Phaedr. (1), Agam. (1), Herc. Oet. (1), reliquarum tragoediarum in canticis eae formae desunt. Plerasque integras formas (6) conlegi ex Agamemnone. In eadem fabula unica exstat breviata extrita autem terminatione in concursu vocalium. Aperte contra terminatio metri causa deminuta bis apparet in Phaedra sola eodem versus loco. Exeunte versu praeter neccessitatem legitur „ulcisceri*s*" Thy. 195, praesertim cum sententia cum verbis, quae secuntur „nisi vincis", tum negationis specie satis perspicua sit.

Exemplorum, quae e Senecae tragoediis congessi, quattuor tantum sensu passiro usurpantur eaque sunt tantummodo verborum, quorum Perfecta formantur secundum III. coniugationem (rapere, iubere, colere), ut nequeant confundi cum 2. Sing. Coni. Perf. Act. Reliqua (29) sunt omnia verborum deponentium. Inquirenti mihi cuiusnam coniugationis essent illa verba evenit haec tabula:

Exempla	Varia verba	Coniugationis			
		I	II	III	IV
33	23	10 (8 v. verba)	3	19 (11 v. verba)	1

Apparet igitur tertiam quam dicunt coniugationem principatum tenere et exemplorum et verborum numero. Decem exempla e I. coniugatione petita sunt omnia verborum deponentium. Contra evitavit Seneca de industria verborum I. coniugationem sequentium 2. Sing. Coni. Perf. Act., quae nusquam invenitur nisi unico loco: Thy. 1106 *pararis*, ubi forma antecedente „hauseris" nihil dubii relinquebatur. Apud Plautum contra in ea verbi forma praevalet I. coniugatio et II, quarum propriae sunt plenae vocales *a* et *e*, cum tertia aliquanto recedat.

1) Quaerenti utra sit terminationum *-re* et *-ris* prior et principalis apparebit ex usu Plautino Annaeano illam esse eam, in qua ea verbi forma nata est, alteram autem in *-ris* exeuntem terminationem esse recentiorem perspicuitatis causa accersitam, ne quarundam formarum aliae aliis confundantur.

3) Praes. Pass. Coni. 2. Sing.: *patiare* Phoen. 494 in pede altero senarii. — at *queraris* Thy. 1104 ante caesuram semiquinariam. — *condaris* Herc. fur. 1010 in pede quinto. Similem igitur in Coni. 2. Sing. rationem sequitur Seneca atque eiusdem personae in Indicativo, etsi ambiguitatis periculum non erat.

4) Imperfect. Pass. Coni. 2. Sing.: *paterere* Octav. 299 in pede altero tetrametri anapaestici. — at *fruereris* Phaedr. 1187 in pede quinto.

5) Fut. Pass. 2. Sing.: a) in pede altero senarii: *cogere* Herc. fur. 426. — *moriere* Herc. fur. 429. Med. 170. Herc. Oet. 332. — b) in pede quarto senarii: *cogere* Herc. Oet. 1710, versus Sapphici minoris: *moriere* Troad. 860. —

Formae solitae exstant quinquiens: a) *mitteris* Oedip. 521. — *morieris* Agam. 971. — *satiaberis* Thy. 980 in pede altero. — b) *sequeris* Troad. 777. Herc. Oet. 897 in pede tertio ante caesuram. — c) in fine versus Sapphici minoris: *sequeris* Herc. Oet. 1532.

Reliquorum temporum et modorum in 2. Pers. Sing. cum formae ampliores, quamquam non tanto sunt praecisis superiores quanto in Praes. Pass. Indicativo, numero tamen praeponderent (9 : 8), dici licere puto: Praes. Pass. Ind. in 2. Sing. videtur Seneca grammaticis rationibus adductus esse, ut formas breviores vitaret. In reliquis temporibus, etsi illae causae deerant, analogia factum est, ut solitis potius quam deminutis indulgeret.

Si igitur paucis repetere licet, quae adhuc statuimus, dicendum est: quascumque verbi formas decurtari praecepta grammatica sinunt, iis, si salvis legibus metricis salvaque sententiae perspicuitate fieri licet, Seneca utitur decurtatis. Excipienda est tantum Pass. 2. Sing., cuius formae pleniores principatum tenent.

Iam iis, quae de Plauti et Senecae geminarum formarum usu exposuimus, inter se comparatis efficitur, quod sane mirum est auditu intra ducentos fere annos linguam Latinam plane in contrarium versam circuli, ut ita dicam, arcum percurrisse centum octoginta graduum. Nam quae initiis litterarum Latinarum in usu praecipue fuisse cognovimus circiter dimidium primi post Christum natum saeculi ut exoleta repudiari eorumque contraria placere videmus.

Multa sane diverso Plauti et Senecae poeseos generi, multa diversae vitae conditioni tribuenda sunt, plura excultae posterioris aetatis elegantiae et delicatae cuidam urbanitati.

B. De Praesentis aoristici reliquiis.

Sicut Imperfecto apud Graecos opponitur Aoristus, qui pura radice cognoscitur (ἔφευγον — ἔφυγον), sic etiam initiis litterarum Latinarum geminae quaedam verbi formae occurrunt, quarum altera brevissimam radicis formam exhibet, amplificatam altera: ut puta *geno*[1]) et *gigno*, *da-nt* et *dăn-unt* (Pseud. 768 in quarto senarii pede, 770 versus in fine). Formae *gen-o*, *da-nt*, in quibus pura radix agnoscitur, Praesentia sunt aoristica; contra formae *gigno* (= *gi-g*(*e*)*n-o*, cf. γί γ(ε)ν-ομαι, πί-π(ε)τ-ω cet.) et *dan-unt*, quibus radix subest geminatione vel addita nasali (cf. *lino*, *sino*, *po*(*s*)*no*) amplificata, Praesentia sunt proprio sensu. Simile exemplum exstat in versu Mil. glor. 1087: *tago*. Eius generis exempla Senecae desunt.

Eodem modo explicari licet verba in coniugationem I, II, IV ex tertia quam dicunt coniugatione transeuntia. Velut priscae formae fuerunt *lavĕre*, *sonĕre* cet. Sed aetate alterius belli Punici talium verborum nascuntur radices in *a* cadentes, unde sunt illa verba in primam coniugationem translata. Atque hae aemulae formae recentiores inde a Gracchorum temporibus in dies magis submovebant vetustas. Quo factum est, ut earum memoria sensim obscuraretur. Nec vero umquam vestigia plane evanuere, id quod ex nominum formatione dilucide apparet (cf. *pariens* — *parentes*, *sentiens* — *sententia*, *calare* — *Calendae* cet.).

Videbimus autem eiusmodi formas iam Plauti aetate coepisse deperire neque tum iam crebras fuisse. Reperiuntur enim in tribus nostris fabulis quae secuntur: Pseudol. 10 *lavis*. — 840 *fervont*. — Mil. glor. 41 *praeolat* (at *subolet* Trin. 615. 698; Mil. glor. 1252 *olet*; dubium est quod legitur Pseudol. 421 *subolebat*). — Trin. 708 *tuĕris* (at Mil. glor. 1265 *obtuetur*). — Trin. 41 *evenat*, Mil. glor. 1005. — Pseudol. 1030 *advenat*. — Pseudol. 10 (*lavis*) et tria exempla, quae postremo loco posui, versus in fine exstant. Ex tertia coniugatione transitur in secundam Pseudol. 680: *praecellet* (*B. A.*).

Apud Senecam duo verba occurrunt, quae huc pertinent: p o t i o r, quod tertiae coniugationis est Phaedr. 501 et Herc. fur. 54

Sed rure vacuo potĭtur et aperto aethere
Ereboque capto potĭtur et retegit Styga

---

1) *genit*, Varro r. r. 2, 2, 19. — *genunt* Varr. Sat. Men. 35. — *genat*, Varr. r. r. 1, 31, 4. — *genitur*, Cic. de inv. 2, 122; de orat. 2, 141 in testamenti formula *ἀρχαικῶς*. Ulp. dig. 30, 17, 1. Iulian. dig. 34, 5, 13 (14), 6. Arnob. 4, 21 extr. — *genuntur*, Varr. r. r. 2, 6, 3. — *genamur* Censor. 3, 1. — *genendi* Varr. r. r. 1, 40, 1. — *genendo* Censor. 3, 1. — Infin. Praes. Pass. *geni* Lucret. III, 797. cf. Forcellini Lexic. s. v. geno; Georgis Lexikon der lateinischen Wortformen s. v. gigno.

(Saepius omnino apud poetas hanc formam invenies correpta paenultima quam producta) et intueor, quo vetustior forma „intuor" vix est numero inferior. Haec enim septiens invenitur: Agam. 917, Phaedr. 898, Herc. Oet. 1357 (1755), Octav. 728 extremo versus loco[1]); Phaedr. 424 in pede altero, in quarto pede Phaedr. 1168[2]). Illa certe duobus locis exstat: Troad. 507 *intuēre*; Octav. 387 *intuēri* in pede altero[3]). Accedunt septem loci, quibus dubitari liceat utri sit coniugationi verbum attribuendum: Herc. fur. 62. 219. 1265, Thy. 706, 903, Herc. Oet. 240. 1693 (1737 *tuens*: Heinsius), quibus locis Participium „intuens" versu exeunte invenitur. Etsi igitur propter numerorum rationem breviorem formam enucleare malis, tamen verbum coniugationis in *e* formatae Participiis illis subesse propterea veri similius est, quia simplex verbum „tueri" tum usitatum multis locis apparet: Herc. fur. 344. 785. Troad. 667. 906. Med. 263. 502. Agam. 354. Herc. Oet. 89. 90. 196. Thy. 189. Octav. 456.

Utraque forma deest omnino in Phoenissis et in Oedipode. Forma „intuor", quae ter legitur in Phaedra (vacante altera), bis in Hercule Oetaeo, semel in Agamemnone et in Octavia, carent Hercules furens, Troades, Medea, Thyestes, nisi forte in Hercule furente et in Thyeste Participium inde petitum est.

C. De formis sigmaticis.

Formae sigmaticae acerrimum inter viros doctos certamen excitaverunt, quo agebatur utrum tantum modo rei futurae inservirent an etiam perfectae significandae. Illius sententiae defensor acerrimus exstitit Madvigius in opusculo celeberrimo: de formarum quarundam verbi Latini natura et usu"[4]), cum adversariorum castra teneret Corssen[5]). Sed manuscriptis accuratius inspectis exempla omnia, quibus Corsseni sententia niteretur, interim evanuerunt, ita ut hodie tota quaestio profligata eorumque iudicium probandum sit, qui rem perfectam illis formis significari negent[6]). Didicimus igitur ex hoc sententiarum certamine tales formas nulla cum Perfecto ratione coniunctas Futura esse a verbi radice vel a Praesente aoristico derivata eodem

---

1)	Agam. 917:	Oresta: amici fida praesidia intuor.
	Phaedr. 898:	Quod facinus, heu me, cerno? quod monstrum intuor
	Herc. Oet. 1357:	Ubinam ista palla est? membra nudata intuor
	„ „ (1755):	Non pressit oculos. sed quid hoc? maestam intuor
	Octav. 728:	in quis residi fessa. venientem intuor
2)	Phaedr. 424:	ipsum intuor solemne venerantem sacrum
	„ 1168:	Hippolyte, tales intuor vultus tuos.
3)	Troad. 507:	en intuere, turba quae simus super
	Octav. 387:	caelum intueri, solis alternas vices.

4) Opusc. academ. alter. 1842 p. 60ss.

5) Über Aussprache, Vokalismus und Betonung der lateinischen Sprache, Leipzig 1870 II².

6) cf. Luebbert: Der Conjunctiv Perfecti und das Fut. exactum im älteren Latein, Breslau 1867.

modo quo apud Graecos Futurum primum[1]). Quod imprimis comprobatur Infinitivis in — *assere* exeuntibus (*impetrassere, expugnassere, averruncassere* sim.), qui sunt omnes Infinitivi Futuri. Cf. Mil. glor. 1123:

Cupio hércle.
Palaestrio
Credo facile te impetrássere.

Qua autem ratione eiusmodi formae sigmaticae a verbi radice deriventur docet Madvigius l. c. p. 65: „In iis verbis, quae exeunt in consonantem iisque, quae post consonantem in praesenti addunt litteram *i* non radicalem, futurum, ut consentaneum est, simile est futuri verborum eiusdem generis Graecorum, ut *axo* respondeat ei, quod est ἄξω; ea autem verba, quae vocali terminantur, formam sequuntur verborum Graecorum, quae pura dicuntur, ut *levasso* fiat, quemadmodum γελάσω. Nam quod duplex est sibilans, vel apud Graecos antiquos sonum inter unam et duplicem litteram variasse, ostendit geminatio apud epicos usitata ἐγέλασσα. Verborum in *i* exeuntium nullae reperiuntur huiusmodi formae; verborum in *e* cadentium quaedam, nullae tamen eorum verborum, quae *e* verae radicis partem habent (*fleo* cett.); atque eae partim, ut perfectum eorundem verborum, impurorum verborum sequuntur rationem, ut *iusso*, partim, ubi perfectum in *ui* exit, purorum, ut *habessit*".

Talium autem formarum e Pauti Mil. glor., Pseudol. Trin. exempla contuli haec: 1) e Trinummo: 384 *servassint*. — 627 *occultassis*. — 722 *coniexit*. — 221 *faxim*. — 63. 64. 882 *faxo*. 2) ex Mil. glor. 163 *mulcassitis*. — 668 *optassis*. — 903 *adsimulassis*. — 1002 *amassis*. — 1123 *impetrassere*. — 11 *ausim*. — 283 *dixis*. — 316 *empsim*. — 333 *surrepsit*. — 464. 1363 *faxo*. — 623. 1120. 1239. 1368. 1414 *faxis*. — 842 *prompsis*. 3) e Pseudolo: 37 *servassint*. — 232 *curassis*. — 939 b *accurassis*. — 14 *prohibessit*. — 79 *parsis*. — 315 *faxint*. — 1022 *capsit*. — 40. 387. 393. 766. 949. 1039. 1043. 1328 *faxo*. — 533 *faxis*. — 923 *faxit*.

Quae hunc in modum per singulas comoedias et coniugationes distributa sunt[2]):

Tituli comoediarum	Formae sigmaticae.	Coniugationis			
		I.	II.	III.	IV.
Trinummus	7 (4)	2	—	5 (2)	—
Mil. glorios.	17 (11)	5	1	11 (5)	—
Pseudolus	17 (7)	3	1	13 (3)	—
Summa	41 (22)	10	2	29 (10)	—

1) Verg. Aen. XII, 316: me sinite atque auferte metus. ego foedera *faxo* firma manu.

2) Numeri maiores indicant quot omnino sigmaticae formae inveniantur, minores cancellisque inclusi numerum verborum, de quibus illae sumptae sunt.

Ex tribus igitur fabulis sigmaticae formae colliguntur 41 petitae a verbis duobus et viginti. Quarum tres fere partes sunt tertiae coniugationis (29), primae est quarta pars. At verborum idem est numerus (10) in utraque coniugatione. Verborum alteram coniugationem sequentium duo tantum exempla occurrunt. Quartae quae dicitur coniugationis nullae omnino reperiuntur huiusmodi formae (cf. Madvig. l. c. p. 65). Quod certa causa vacare vix mihi quisquam persuadere poterit. Nec vero adhuc mihi contigit, ut eius rei satis plenam rationem invenirem aliam, nisi eam quod, cum talium formarum originem appareat in antiquissima et remotissima tempora recedere, verisimile est quartam coniugationem aetate novissimam esse et tum demum natam, cum formae sigmaticae iam florem aetatis egressae erant earumque usus vita occidente definiebatur copia priore tempore suppeditata nec novae efficiebantur nisi ad ipsum usu tritarum exemplum.

In Pseudolo totidem eius speciei formae reperiuntur quot in Milite glor. (17), multo minorem numerum (7) praebet Trinummus. In eadem fabula desideratur exemplum coniugationis in *e* formatae, cuius in reliquis duo sunt. Hoc unum etiamnunc dignum puto quod adiciam rationem earum formarum, quae a verbo faciendi derivatae sunt, accrescere in Trinummo, Milite glorioso, Pseudolo ut 4 : 7 : 11, primam autem personam „*faxo*“ ter deciens inveniri.

Ex hac copia priscae Latinitatis satis magna Gracchorum autem temporibus interitura aureae quam dicunt aetati tres formae relictae sunt: *faxo, faxim, ausim.* Senecae tragoediae unum tantum exemplum exhibent:

Med. 905 . . . . . . quidquid admissum est adhuc
pietas vocetur. hoc age et *faxo* sciant
quam levia fuerint quamque volgaris notae
quae commodavi scelera . . . . .

Quo loco non video cur „*faxis*“ cum Leone scribere necesse sit: immo codicibus obsecutus malim putare verbalem eius formae notionem illa aetate ita deriguisse, ut παρατακτικῶς posita quasi adverbii vicibus fungeretur respondeatque vernaculo dicendi generi „auf der Stelle, sogleich“. Accedit altera causa, qua formam libris traditam servare cogamur: nam „fax*o*“ quidem permansit in Latinitate, non permansere aliae personae ut „fax*is*“. (Petron. Sat. 95 „fax*o* sciatis“, sim. Prudentius.)

D. De adiectivis cum verbis compositis.

Adiectiva cum verbis composita cum forma brevissima notionem amplissimam efficacissimamque complectente imprimis idonea essent, quibus poetae uterentur ad epitheta exprimenda cumque metricae structurae genere elegantissime se adaptarent versibus postea deamatis atque fictu facillima sermonis poetici studio novas procreandi insolitasque formas materiam gratissimam offerrent nec ullis fere terminis coercitam, procedente tempore in dies magis crebuerunt et postremo uberrime luxuriabantur.

Quae cum sint adiectivorum mobilium quae dicuntur i. e. eorum, quae genus diversum diversa forma exprimunt, verisimile est eius generis adiectiva, quae quidem initiis litterarum Latinarum in usu erant, omnia instructa fuisse terminationibus *-us, -a, -um.* Sed masculini generis terminatio in adiectivis cum verbis ferendi gerendi compositis aeque atque in substantivis olim in *„-rus“*, *„-erus“* exeuntibus apocope postea periit. In fabulis autem Plautinis, in quibus adiectiva cum his verbis composita perraro occurrunt, videntur antiquissimae terminationes in usu fuisse. Nam legitur in Pseudol. v. 218: '*morigerus*'[1]). Dubium est propter casum oblicum verbi ferendi exemplum in Pseudol. v. 1262 '*dulciferum*'.

Inveniuntur autem in Plauti Trinummo, Milite glorioso, Pseudolo (a) et apud Senecam[2]) (b) exempla haec:

1. (fero): a) *dulcifer(us?)* Pseudol. 1262. [subst. flabellifera Trin. 252. — furcifer Pseudol. 194. 361. Mil. glor. 544]. — b) *aestifer* Oedip. 39. — *anguifer* Herc. fur. 812. — *armifer* Med. (468). 980. Phaedr. 909. — *aurifer* Herc. fur. 240. — *bacifer* Oedip. 415. — *caelifer* Herc. fur. 528. — *flammifer* Herc. fur. 593. 982. Thy. 855. — *florifer* Oedip. 649. — *frondifer* Oedip. 276. — *frugifer* Phoen. 219. 603. — *gemmifer* Med. 725. Herc. Oet. 622. 61. — *horrifer* Phaedr. 934. — *ignifer* Med. 34. Phaedr. 960. Herc. Oet. 1362. 1748. — *imbrifer* Oedip. 315. Phaedr. 1131. — *letifer* Herc. Oet. 208. — *lucifer* Med. 842 (cf. Oedip. 507. 741. Phaedr. 752. Herc. Oet. 149). — *luctifer**[3]) Herc. fur. 687. — *monstrifer** Phaedr. (688). — *montifer** Herc. Oet. 1212. — *mortifer* Med. 688. 717. 731. Oedip. 555. 1058. Agam. 887. — *pestifer* Herc. fur. 562. 976. Phoen. 38. 220. — *pinifer* Agam. 346. — *pomifer* Herc. fur. 700. — *rorifer* Phaedr. 11. — *sceptrifer* Med. 59. — *squamifer** Med. 685. [signifer Phoen. 390. Thy. 846]. — *stellifer** Phaedr. 785. — *solifer** Herc. Oet. 159. — *spicifer* Herc. Oet. 598. — *velifer* Thy. 129.

2. (facio.): a) *maleficus* Trin. 551. Pseudol. 195a. 1211. Mil. glor. 193. — *magnificus* Pseudol. 167. 94. 702. 911. — *mortificus* Mil. glor. 1241. — *delenificus* Mil. glor. 194. — *furtificus* Pseudol. 887. — *spurcificus* Trin. 826 [cf. subst. veneficus Pseudol. 872; verba sacruficare Pseudol. (265). 327. Mil. glor. 710. — ludificari Pseudol. 1120 (dep.). Mil. glor. 488. 90. 5. 537. 901. 1106. — aedificare Mil. glor. 209 (cf. 210). — fumificare Mil. glor. 412]. — b) *castificus** Phaedr. 169. — *incestificus** Phoen. 223. — *laetificus* Troad. 596. — *letificus** Med. 577. — *luctificus* Oedip. 3. 632. Herc. fur. 102. Phoen. 132. Phaedr. 995. — *magnificus* Troad. 575. Med. 223. — *maleficus* Troad. 752. — *nidificus** Med. 714. — *sacrificus* Med. 38. Agam. 166. 584. Herc. fur. 893. — *saxificus* Herc. fur. 902. — *superbificus** Herc. fur. 58. — *tabificus* Oedip. 79. — *terrificus* Oedip. 384. Herc. fur. 82. — *volnificus* Phaedr. 345 (pacificare Agam. 225).

3. (gero): a) *morigerus* Pseudol. 208 (cf. deminut. plagigerulus Pseud. 153. — munerigerulus Pseud. 181. — subst. famigerator Trin. 215. 9. — famigeratio 692. — sandaligerula

---

1) Neue, Formenlehre II² p. 4.

2) In collectione a Neue-Wagner (Formenlehre, Berlin 1892) facta nulla fere Senecae ratio habetur, quamquam eius tragoediae fontes uberrimi sunt, e quibus plurima eius rei exempla suppeditantur.

3) Asterisco designavi quae nova confinxit Seneca (cf. Seitz: de adiectivis poetarum Latinorum compositis, Bonnae 1878).

252). — b) *aliger* Phaedr. 338. Herc. Oet. 543. — *belliger* Med. 64. Herc. fur. 901. Phoen. 472. Phaedr. 188. 808. — *corniger* Oedip. 810. Phaedr. 756. 1081. 1172. — *laniger* Oedip. 134. — *saetiger* Med. 644. Herc. Oet. 1888. — *securiger* Oedip. 471. Agam. 217. — *stelliger* Herc. fur. 1204. Herc. Oet. 1344. 1907. — *thyrsiger* Med. 109. Phaedr. 753.

4. (dico): a) *vanidicus* Trin. 275. — *falsidicus* 770. — *magnidicus* Mil. glor. 918. b) *fatidicus* Oedip. 268, 302. 1042. Troad. 1100. Herc. Oet. 1474. — *veridicus* Agam. 255. — *iuridica* Herc. fur. 581.

5. (loquor): a) *mendacilocus* Trin. 200. 769. — *confidentilocus* Trin. 201 (blandiloquentulus Trin. 239), — *multilocus* Pseudol. 794. — *largilocus* Mil. glor. 318 (morologus Pseudol. 1264) [cf. subst. stultiloquentia Trin. 222. — (inanilogista Pseudol. 255) — stultiloquium Mil. glor. 296]. — b) Seneca tantum adhibet „*blandilocus*“ Agam. 289.

6. (vagor): a) Plauto desunt. — b) *noctivagus* Oedip. 254. — *montivagus* Phaedr. 784. Herc. Oet. 137. — *multivagus** Herc. fur. 533.

7. (sono): a) Desunt Plauto. — b) *altisonus* Phaedr. 1134. Agam. 582. — *fluctisonus** Herc. Oet. 836.

[Adde: latebricolarum hominum Trin. 240 (cf. caelicola Med. 90. Oedip. 388); terrigena miles Med. 470. — Substantiva hoc modo formata apud Plautum latius patent: vestiplica Trin. 252. — myropola 408. — collicrepida 1022. — cruricrepida, ferriterus 1022. — flagitriba Pseudol. 137. — bustirapus 361. — sociofraudus 362. — parricida 362. — sacrilegus 363. — lucrifuga 1132. — muricapus Mil. glor. 1050.]

Adiectiva verbalia in *-bundus* (*cundus*)[1]) exeuntia occurrunt hisce locis: *furibundus* Oedip. 616. Agam. 544. 981. Troad. 94. 940. Phaedr. 263. Thy. 556. Herc. Oet. 905. — *ludibundus* Pseudol. 1275. — *moribundus* Phaedr. 1097. — *pudibundus* Oedip. 619. Herc. fur. 1178. — *tremibundus* Herc. Oet. 810. 12. — *facundus* Trin. 380. Mil. glor. 1136. — *fecundus* Herc. fur. 260. 781. Troad. 225. Phoen. 272. Agam. 18. 706. 835. Herc. Oet. 258. 1292. Octav. 404. — *iracundus* Mil. glor. (662). — *rubicundus* Pseudol. 1219. Phaedr. 78. 747. Med. 327 (cf. Trin. 478 verecundari).

Idem fere eiusmodi adiectiva significant quod Partic. Praes. sensu tamen aucto. Cf. Gell. 11, 15, 8: „Sed inquirentibus nobis, quaenam ratio et origo esset huiuscemodi figurae ‘populabundus’ et ‘errabundus’ et ‘laetabundus’ et ‘ludibundus’ multorumque aliorum id genus verborum, εὐεπιβόλως hercle Apollinaris noster videri sibi ait, particulam istam postremam, in quam verba talia exeunt, vim et copiam et quasi abundantiam rei, cuius id verbum esset, demonstrare: ut ‘laetabundus’ is dicatur, qui abunde laetus sit, et ‘errabundus’, qui longo atque abundanti errore sit, ceteraque omnia ex ea figura ita dici ostendit, ut productio haec et extremitas largam et fluentem vim et copiam declararet“. Prisc. I p. 137, 16 ss. K.

---

1) Inter suffixa *-bundus* et *-cundus*, quae proclivitatem ad aliquam rem vel animum in aliquid propensum significant, similem apertum est rationem intercedere atque inter suffixa *-alis* et *-aris* (cf. Singu*l*-*aris*, Plu*r*-*alis*). In antiquissimum autem tempus recedunt paucissimae formae in *-cundus* desinentes, quae ab ipsa primaria radice derivatae postea pura adiectiva sentiebantur (cf. *iucundus*, *verecundus*, *secundus* cet.). Alterum autem suffixum latius patens secundariae radici adiunctum est et verbi notionem semper conservavit.

Adiectivorum omnium hoc modo compositorum usus Annaeanus hoc conspectu inlustratur[1]:

Adiectiva composita cum	Herc. fur.	Troad.	Phoen.	Medea	Phaed.	Oedip.	Agam.	Thyest.	Herc. Oet.	Octav.	Summa
fero	7 (9)	—	2 (4)	7 (10)	7	6 (7)	2	2	6 (8)	—	30 (49)
facio	5	3	2	4	3	3 (4)	1 (2)	—	—	—	14 (23)
gero	2	—	1	3	4 (7)	3	1	—	3 (4)	—	8 (21)
dico	1	1	—	—	—	1 (3)	1	—	1	—	3 (7)
loquor	—	—	—	—	—	—	1	—	—	—	1
vagor	1	—	—	—	1	1	—	—	1	—	3 (4)
sono	—	—	—	—	1	—	1	—	1	—	2 (3)
Summa	16 (18)	4	5 (7)	14 (17)	16 (19)	14 (18)	7 (8)	2	12 (15)	—	61 (108)

-bundus	1	1 (2)	—	—	2	2	1 (2)	1	2 (3)	—	4 (13)
-cundus	1 (2)	1	1	1	1 (2)	—	1 (3)	—	1 (2)	1	2 (13)
Summa	2 (3)	2 (3)	1	1	3 (4)	2	2 (5)	1	3 (5)	1	6 (26)

Vel oculo veloci hanc tabulam percurrenti apparebit primum in ea tragoedia, quae Octavia inscribitur, ne vestigium quidem inveniri totius huius generis adiectivorum, id quod argumentum puto reliquis non infirmius, quibus a Senecae tragoediis eam secernere cogamur[2]).

Deinde prae ceteris Senecae grata fuisse adiectiva cum verbis ferendi et faciendi composita. Tanta est enim eorum apud Senecam frequentia, ut sint omnium duae partes. Nam iis verbis quattuor et quadraginta adiectiva suppeditantur, quibus utitur poeta duobus et septuaginta locis. Mirum est igitur neque in Troadibus ullum exemplum inveniri adiectivorum cum verbo ferendi compositorum et adiectivis in *-ficus* cadentibus plane abstinuisse poetam in Thyeste et in Hercule Oetaeo.

Secuntur tum satis etiamnunc frequentur adscita verba gerendi et dicendi, a quibus undecim adiectiva petuntur duodetriciens adhibita. A verbo gerendi sumpta desunt in Troasin et in Thyeste.

Alia verba (loquor, vagor, sono) raro arcessuntur ad eius modi formationes et praebent tantum modo sex exempla, quae octo locis leguntur. Medium quendam locum obtinent adiectiva in *-bundus* (*cundus*) terminata, quorum exempla sex colliguntur usurpata omnino sexiens et viciens.

Ex eius speciei adiectivorum usu Annaeano si quid potest concludi ad tragoediarum ordinem definiendum, respicienda sunt haec:

1) Cancellis saepsi numeros usus frequentiam indicantes.
2) cf. Seitz, l. c. p. 31 adnot. 1.

Primum Hercules Oetaeus, etsi eam tragoediam supra dictum est spatium complere duplo fere reliquis amplius, tamen talium adiectivorum frequentia superatur ab Hercule furente [12 (15): 16 (18)]. Quare non minus puto quam reliquis argumentis inlustrari eam conscriptam esse ante furentem Herculem. Haec enim vel in hac re novissimarum sequitur tragoediarnm consuetudinem, quippe quae totidem eius generis adiectiva contineat, quot Phaedra, cuius est maximus eorum numerus [16 (19)]. —

Deinde conspicuum in modum a reliquis tragoediis secedunt Troades et Thyestes cum adiectivorum raritate tum eo, quod tantum in his duabus fabulis nullum iteratur adiectivum. Thyestes autem tantum in ea re distat ab usu reliquarum fabularum, ut ad Octaviam prope accedat.

Quae mihi respicienti et cum ceteris rebus componenti, quas in Thyeste Annaeano usui contrarias observavi, aliquid fateor dubitationis inici, num Thyestes, quam e deterioribus esse fabulis omnes consentiunt, digna sit, quae Cordubensis nomine ornetur.

INDEX CAPITUM.